

1668.

1. Brunemannus, Johannes: De contractibus jure prohibitis.
2. Brunemannus, Johannes: De induciis negotiorum.
3. Brunemannus, Johannes: De adhaesione legata et
sen Judicaria.
4. 16
= Brunemannus, Johannes: De his, quae raro fiunt.
2 Frankfurt. 1668: 1691.
5. Polissius, Melchior: Ordo ac methodus recte dignos-
cendi ac dente curandi tartarum articularum.
6. Raugo, Laurentius: De interventione tertii, an
et quatenus ea impediat executionem sententiae,
et quando minus.
7. Rhetius, Johannes Fridericus: De statu Germaniae
circa subditos et eos, quos vulgo analogice eo
nomine comprehendunt.

8. Rhetius, Johannes Fredericus: De jure portionis alimentarie, a principe primogenito in Portionem paternam solum succedente, ultragentis Germanorum moribus debita. 2 Bimpl.

9a^b Rhetius, Johannes Fredericus: De unum gratificando
2 Bimpl 1668: 1686

10. Rhetius, Joh. Fredericus: De calumnia.

11^a Rhetius, Johannes Fredericus: De exceptionibus parata executionem impediuntibus 2 Bimpl. 1668.

Rhetius, Joh. Fredericus:
12. ~~Styckius~~, Samuel: De privilegiis de emphyteusi

13. Rhetius, Joh. Fredericus: De assisiis seu accisiis.

14. Styckius, Samuel: De privilegiis advocatorum.

15. Styckius, Samuel: De jure navium.

16. Styckius, Samuel: De beneficio excussionis

17^a Styckius, Samuel: De foro austregarum.

18. Strykius, Samuel: De jure libellorum

19^{tes} et Wilboegel, Christianus: De solemnibus.

[Faint, illegible handwriting at the top of the page]

17. *[Faint handwriting]*
2. April 1888 - 1888

18. *[Faint handwriting]*

19. *[Faint handwriting]*
2. April 1888

[Faint handwriting]

20. *[Faint handwriting]*

21. *[Faint handwriting]*

22. *[Faint handwriting]*

23. *[Faint handwriting]*

24. *[Faint handwriting]*

25. *[Faint handwriting]*

1000



17180.

9

2

JEHOVA ASSISTENTE! 1668, 2
DISPUTATIO INAUGURALIS

De
**INDUCIIS MO-
RATORIIS,**

*Ductu L. 2. & 4. C. de Precib. Imper. off. & L. fin.
C. qu. bon. ced. poss.*

Quam

Consensu & autoritate Magnifici Jctorum Ordinis
in illustri hac Viadrina

P R Æ S I D E

*MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
atq; EXCELLENTISSIMO*

Dn. JOHANNEBRUNNEMANNO,
Jcto, Serenissimi ac Potentissimi Dn. Electoris Bran-
denburgici Consiliario, Decretalium Professore celeberrimo nec
non Amplissimæ Facultatis juridicæ Ordinario & h. t.

DECANO Spectabili

*Dno. Patrono, Præceptore ac Promotore omni
observantia colendo*

PRO SOLITIS IN UTROQ; JURE HONORIBUS OBTINENDIS
Publico sistit Examine

GEORG CONRAD SCHVVICK,

Sonnenb. March.

IN AUDITORIO JCTORUM

horis ante & pomeridianis,

Die 2. Octobr. Anno 1668.

Prelo FRIDRICI Eichorns,

PER-ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO

VIRO AC DOMINO

DN. LAURENTIO

CHRISTOPHORO SOMNITZ,
Serenissimi & Potentissimi Ele-
ctoris Brandenburgici Consiliario Status intimo,
Orientalis Pomeraniæ Cancellario, Ejusdemque
Ducatus Camerario Hereditario, nec non ditio-
num Lauenburgensis & Bütoviensis Præsidi,
Domino & Heredi in Grumsdorff, Drenau, Ger-
bero, Speck, Masso, Brötz, &c.

*Dnn. Patronis ac Me-
aternalum*

Felicitatem pe-

Obsequiorum-



ILLUSTRI AC GENEROSO

VIRO AC DOMINO

DN. FRIEDERICO
DE JHENA,

Serenissimi & Potentissimi Ele-
ctoris Brandenburgici Consilia-
rio Status intimo &c. &c. Do-
mino & Heredi in Buch,
Carou &c. &c.

*canatibus meis
venerandis.*

rennaturam

que Promptitudinem.



UNumquemque mortalium
sibi blandiri in iis, quæ fini
suo, vitæ ratione habitâ, desti-
nata esse amat, prudentiores in-
ter viros abunde constat. Verùm
vanis blanditiis se captum esse
interiori dolore per sentiscet,
nisi summorum virorum, qui-
bus etiam, ut primæ fortis ho-
minibus, in se vit DEUS amorem
communicandæ cum aliis sapi-
entiæ, punctum accedat. Diffi-
dentia enim, multos ut studio-
rum peperit desertores, ita infe-
licem actionum in hac vitæ sce-
na catastrophem observabimus,
specta-

ſpectatoribus non applaudenti-
bus. Varias hinc artes addiſcere
juſſit neceſſitas, ita, ut ex natu-
ræ ſuæ imbecillitate humi repen-
tes aliorum potentiâ emergere
allaborent. Hac fini Aquila-
rum beneficio viliffimum vola-
tilium genus ſolis ſplendorem li-
beriori volatu excepiffe, nõ ſine
doctrinæ myſterio, Antiquitas
poſteritati commendavit. Ego
hæc ſingula penitus contem-
plans, pari ratione nihil humani
â me alienum ſentio. Summos
enim, quos Academia decerne-
re ſolent, honores meditando
ſum-

) (3

ſum-

summos desidero viros, qui suo
applausu studia mea numeris su-
is absolvant. Mutila & manca
autoschediasmata mea mane-
būt, nisi splendor aliunde ex vo-
to accedat. Vos itaque, ANIMÆ
ILLUSTRES, succurrite feliciter
meæ tenuitati, applaudite be-
nevole mihi in hac scena consti-
tuto. Equidem favore summo,
identidem eundem temeritatis
quadam specie sollicitans, abuti
videor; diu enim in ære vestro
sum, nunquam libertationem
meditatus. Verum ad debito-
rum fortem in præsens quasi re-
da-

dactus sum, qui, nulla liberatio-
nis spe affulgente, ex principis
gratia indulta, quæ vocant, mo-
ratoria, creditoribus suis com-
miseratione digni opponunt.
Offero & Vobis, VIRI PRINCIPES,
gratiæ rescripta, gratiam vestrã
aucupaturus. Suscipite eadem
benevolè, dumq; nihil habent,
quo vobis commendentur, æsti-
mate cultum, quo Vos, AUGUSTI
PRINCIPIS CORCULA, pio & obse-
quioso affectu veneratur

V. Præillust. & Illustr. Generosit.

Devotissimus Cliens

GEORG CONRAD SCHVVICK.



Arces Palladiæ primùm Parnasside lauro
Cinxerunt vigilem Civem, magnæque capacem
Virtutis, cuius sanxit prudentia mentem. (a)
Fulmineo solitum quondam contendere cursu,
Victorem excepit devinctum tempora lauro
Arbiter. (b) Et Reges sunt ornamenta Poëtis
Largiti, lauros, & multæ laudis honores.
Promeruit Cedrum, Cedro qui digna locutus.
Ut piscem è liquidis penetralibus evocat esca:
Atque sui fulgore suo perducit amorem
Aurum: sic animum generosum invitat honoris
Et tutuli splendor; Virtutis nobile nomen,
Et par ingenio pretium. Popularibus auris
E contrâ valdè gaudent, mendacis & oris
Blanditiis angusti animi: nam curta supellex;
Desperat palmam, deridet pulpita: sicut
Contemnit vulpes, quæ attingere poma nequivit.
En nostri SCHWICKI mens est generosior, ille
Sollers aggressus Musas, & mille labores
Sustinuit, studiis vigiles transmittere noctes
Gavisus, libros oculis animoque sequaci
Evolvens hausit, quæcunque recondita chartis
Induperatoris, Baldi, Paullique relicta
Justitiæ Procerum: Colophonem imponit amico
Parnassi Intuitu studiis condignus, honores
Inque Viadrinis titulos deposcit Athenis:
Nobilitate loci motus, famâque Virorum
Tantum, ingeniis quorum cælum omne vacavit:
Quos decorat doctrina gravis, quos grandior ætas.
In multos annos vivat condignus honore,
Atque actus ejus comitentur commoda plura,
Quam quot Pactolus rutilas despumat arenas:
Fortunata ipsi jubeat DEUS, omnia cedant.

(a) V. Zuing.
theatr. p. 1003.


(b) Idem
p. 1004.

Affectus testandi gratiâ inter occupationes deproperabam

FRIDERICUS MÖLLERUS, D.

Serenis. Elect. Brandeb. Consiliarius

& Archiater.



FELICITER.

Quam dura debitorum olim fuerit conditio, neminem, nisi in antiquitatum Romanarum historia hospiti, latebit. Nam ut alios, qui Sexcenti adduci possent, silentio pro temporis ratione transeamus, unus nobis erit instar omnium *ALEXANDER ab ALEXANDRO*, qui in tranquillis & verè genialibus diebus, quos ad semestre illud spatium Tiraquelli adjunxisse iuvabit, *lib. 6 c. 10. p. m. 343.* iniquissimum sævæ atrocitatis immanitatisq; decretum ex authentico legumlatorum Rescripto adumbrat, cuius Vestigia cum aliis succinctâ methodo sequitur *Nobilis. & Consult. Dn. D. Stryk in Dis. de benef. dation; in solutum, cap. 1. n. 2. 3. & seq.* quem, ne nihil antiquitatis penitus ignoretur, monente nostro Imperatore §. 1. *Inst. d. Testament. ordinand.* adiisse & Saxonici hocque in casu rigidioris juris reliquias penitus considerasse utilitatis haud erit pœnitendæ. Verum quântis mutationibus jure humanitatis svaden-

A te hic



te hic juris antiquioris rigor obnoxius fuerit, varia Rerum publicarum periodi docent; nullum enim seculum absque hujus juris correctione transactum fuit, ita, ut procedente tempore leniora eaque benigniora remedia in sublevandis debitoribus nunquam non adinventata fuerint. Silemus varia debitorum beneficia, imprimis L. Juliam, quæ debitoribus absque sua culpa paupertate laborantibus indulget, ut cedendo bonis vinculorum, servitutis carcerisque injurias subterfugere possent, *l. 4. ff. d. cessione bonor. junct a l. 1. § 7. Cod. qui bonis ced. poss. V. Vesenb. paratit. ff. tit. de Cessione bonor.* Nobis indeducendis moratoriis, quæ vocant, indultis deludare in præsens placet, & tanto magis, quanto majorem hisce obæratibus temporibus frequentiam eorundem observare licet. Commendat nobis hoc studium summa induciarum æquitas, quippe quæ Creditori unicuique jus suum salvum relinquens, debitoris tantummodo obligationem suspendit, & ab impetitione ad tempus securitatem præstat, quæ omnia nostras theses, quæ non tam oleum & lucernam, quàm maturantis & temporis angustia exclusi hominis studium redolebunt, fugitivo oculo perlustranti diffusiora apparebunt. Tu, DEUS summe, esto nobis principium, medium & finis !

TH. I.

THES. I.



Initio nostræ disquisitionis facto, induciarum vocabulum diversimodæ denominationi subjectum apparet; quidam in eo denominationis rationem sitam esse volunt, quod debitor ab exactiōe Creditoris immunis sit & quasi pace gaudeat, ad exemplum induciarum bellicarum & nomen exinde, quod in diem dicantur, id est differantur *Calvin. in Lex. jurid. vocab. Inducia.* acceptum placet. Nonnulli hoc beneficium præscriptionem vel exceptionem moratoriam salutant *l. 2. Cod. d. precib. Imperat. offer.* quia exactiōem & petitionem Creditorum moratur, id est retardat, impedit, differt & ad finem usq; induciarum suspendit, *Manz. in patroc. depaup. debit. Decade 4. qu. 9. n. 7. & Besold. ibi alleg.* morari enim propriè pro differre & retardare accipitur *l. 6. ff. d. usu & usufr. Legat. verb. moratus esset in ea dand. 5. §. 1. ff. ut Legat. servand. causa caveat. ibi: si petitionis dies moraretur l. 91. §. 1. ff. d. V. O. ibi: moratus est solutionem. l. 7. C. d. his qui accusare poss. ibi: cognitionem moratur.* Licet alias in latiore significatione hinc inde in iure pro habitare etiam accipiat *l. 13. §. 1. ff. d. Aliment. legat. l. 2. §. 4. ff. d. his qui notant. infam.* Aliis vocabulis à Jctis etiam dicuntur ejusmodi diplomata, Literæ induciales, dilatoriæ & moratoriæ; literæ gratiæ, ab eo quod gratiam seu beneficium contineant; securitatis, quia in iis securitas, de non inquietando intra certum aliquod temporis spatium obæratibus debitoribus conceditur. Ab aliis Literæ status, indulta moratoria, Exceptiones mercatoriæ, Laxamenta, Literæ Respiti seu respirationis, ex eo, quod re-

spirare faciant substantiam debitoris, vocantur. *Carpz. in Asyl. debitor. th. 62. n. 60. Manz. d. Tract. Decad. 4. qu. 9. n. 12.* Germani vocant, *Anstand Brieffe Gail. 2. obs. 46. n. 14. VVehn. Observat. pract. d. V. S. verb. Anstand Brieffe* ideo weil die Exaction der Schuld bis zu bestimter Zeit anstehen bleibt. *Moratorien / Schutz Brieffe / Quinquenneln;* quia communiter ad quinque extenduntur annos. *Eyserne Brieffe & qui eas impetrarunt, Saxones vocant eisern werden. Chilian. König in Processu judiciar. cap. 2. n. 13. ex ratione,* quod nempe ferrei fiant leu ferreo quasi pectorali firmentur Creditorum contra exactiones, & quamdiu tali diplomate circumdati reperiuntur, adversus judicarias molestias & excutiones securi & impenetrabiles sunt. *Manz. d. Tract. Decad. 4. qu. IX. n. 6. Guil. Anton. Freundenberg Tract. de Rescript. morator. concl. 4. n. 36. Mevius in discuss. Levam. inop. debit. cap. IV. Section. VIII. n. 1.*

THES. II.

Explicata nominis Varietate descriptionem moratoriae praescriptionis formamus talem; Quod sit beneficium, quo debitoribus, qui absque sua culpa facultatibus lapsi sunt, petentibus ex aequitate a summo vel Territorii Principe, vel quandoque ab ipsis Creditoribus ad certum tempus solvendi dilatio indulgetur. Dicitur quod sit *beneficium*, quia utraque dilatio, tam ea quae a superiore, quam quae a Creditori-

ditoribus fit, eo commodè comprehendi potest: Et quamvis simpliciter & per se beneficium dici non mereatur, tamen comparativè ac respectu majoris mali evitandi, cum repellat tam verbales quam reales Creditorum molestias maximè hac nominatione includitur. Dicitur porro *ex æquitate concedi*: Non minus enim ratio juris naturalis & legis divinæ, quam & Christiana charitas *Thessaur. decis. 186. n. 2. & 3.* desiderat, ut misereamur eorum, qui nullâ suâ culpâ, sed tantum fati infelicitate inopiæ sentiunt miseras; imo nihil æquitati convenientius quam afflicto ulteriorem non addere afflictionē. *l. 14. ff. d. off. Præs. l. 9. §. 2. ff. ad L. Pompej. de parricid. l. 28. C. de Episcop. audient.* Unde magnam esse pietatem, quæ pro paupertate facit, patet *ex l. 74. §. 1. ff. ad Sct. Trebell.* Idque eo magis, quia exactio debiti ad certum tempus tantum suspenditur & differtur, *arg. l. 2. Cod. de Precib. Imp. offerend.* ut interea paululum respirent Debitores & de rationibus solvendi eo melius sibi possint prospicere. Hinc magnam conquerendi causam Creditores allegare nequeunt, cum grave aliquod dispendium exinde ad eos non perveniat, sed sit tantum mora modici temporis, quod nec magnum damnum nec grave præjudicium affert *l. si debitori 21. ff. de judiciis.* Imprimis, cum semper memores esse debeamus egregii illius moniti Jcti Ulpiani in *l. 33. ff. d. Usuris* ubi docet: Creditorem se non debere acerbum exactorem præbere, nec contumeliosum, sed moderatum & benignum & cum instantia humanum. Neque Creditor cum sacco semper debitorem adeat, sed temperamentum aliquod temporis ipsi admittat *l. quod dicimus 105. ff. de solut. & liberat. & l. si servus 25. ff. d. pignorat. actione*, & licet quibusdam Creditoribus id minus gratum, propter clementiam à nobis

sancitum inquit Imper. *Novell. d. fidei. 4. c. quod aut. 3.*
 Hinc *Mevius in discuss. Levam. inop. debit. cap. 4. Sect. 8. n. 2.*
 Non opus est, inquit, prolixius de jure talium induciarum
 disputare, postquam ea videmus exigi à necessitate, (vade-
 ri per humanitatem, deberi ob æquitatem, negari non
 posse sine immanitate, non impugnari sine malignitate,
 indulgeri cum Creditorum utilitate, approbari justa ra-
 tione, exerceri ubique in orbe & velut ex Gentium con-
 sensu, corroborari Civitatum Legibus. Et quidem sub
 Imp. Romano minus dubii habentur juris, cum L. L. pu-
 blicis receptæ & probatæ sint. Non minus antiquioribus
 Justinianæi juris Voluminibus insertæ *l. quoties 2. l. uni-
 versa. 4. d. Prec. Imperat. offerend. l. fin. Cod. qui bon. ced. poss.*
 quam & recentioribus Imperii constitutionibus confir-
 matæ apparent: *videat. Reformation guter Policen d. An.
 1548. tit. von verdorbenen Kauff-Leuten §. und nach
 dem sie zu Zeiten ic. Policen Ordnung in Francffurt
 de Anno 1577. §. wenn auch solche. ic. Quid? Quod
 per Germaniam ab omni ferè ævo talia frequentata repe-
 riamus rescripta.*

THES. III.

Descriptioni commodè divisionem subjungimus,
 dividentes Moratorias in publicas & privatas. Publicæ
 dicuntur, quæ publica Magistratus autoritate splendent
l. 45. ff. de Jure fisci. l. 2. & 4. Cod. de Precib. Imperat. off. &
illæ κατ' ἐξοχήν rescripti moratorij nomine veniunt. Pri-
 vatæ quæ, privatim à Creditoribus conceduntur *l. fin.
 Cod. qui bon. ceder. poss. arg. §. 10. Instit. de Exceptionib.*

THES. IV.

THES. IV.

Non unius tamen ejusdemque naturæ sunt, si causam
 efficientem accuratius consideramus; sed diversifi-
 catis quoque ratio in concessionis modo apparebit; Mo-
 ratorias enim publicas olim solus Imperator seu Prin-
 cept summus concedebat *l. 2. & 4. Cod. de Precib. Imper.*
offer. l. fin. Cod. qui bon. ced. poss. quod & probare videtur
 Reformation guter Policey = Ordnung zu Augspurg
de Anno 1548. d. t. Von verdorbenen Kauff-Leuten ibi
 und nach dem sie zu Zeiten bey den Römischen Käysern
 und Königen Moratoria oder Quinquenneln außbrin-
 gen ic. Policen = Ordnung zu Franckfurt *d. Anno 1577.*
d. t. 23. §. ult. ibi so meinen wir hiermit ernstlich / und
 wollen daß ihnen solche Moratoria hinfuro nicht mehr
 gegeben werden sollen / wir oder unser Nachkommlinge
 Römische Käyser oder Könige. ic. *Lampad. in Rep.*
Romano Germ. p. 3. c. 14. n. 2. Johann. Theod. Spreng. in Juris-
pr. publ. p. m. 77. & 223. Herm. Herm. in fasc. J. P. c. 11. n. 106.
 Hoc tamen nequaquam reliquis Principibus ac Statibus
 Imperii eandem in Territoriis suis denegare facultatem,
 fas erit, quippe qui præminentis Imperatori indultis
 coruscant & vigore jurium territorialium, secundum
 vulgatam tam in foro quam in Scholis tritam Regulam
 Dd. ea omnia indistrictibus suis expedire valent, quæ Im-
 perator in universo exercet Imperio *Dd. ad L. postlimini-*
um 19. ff. d. Capt. & postlimin. revers. Theod. Reinking. d.
R. S. & E. Class. 5. c. 6. n. 31. præsertim in causis civilibus li-
 berum disponendi habent arbitrium, wie es in Credit
 Sachen mit ihren Unterthanen zu halten *R. I. d. An. 1654.*
d. l. §. setzen demnach. Hinc restatur *Magnif. & Excell.*
Dn. Praeses ad L. univers. C. d. Precib. Imp. off. circa fin. Sere-
nissimum

nissimum & Potentissimum Electorem Brandenburgicum non semel ejusmodi moratoria statibus suarum Provinciarum clementissimè concessisse. De Civitatibus Imperialibus ac liberis idem statuit *Matth. Steph. d. Jditione lib. 2. n. 54. & seqq.* quæ quamvis Personalibus Principum juribus sint destitutæ, realia tamen Superioritatis jurâ seu Regalia suis in territoriis habent & eandem, quam alii status in sua Republ. potestatem *Gail. 2. Observ. 57. n. 7.* præprimis in hoc calu *d. R. Imp.* Insignem tamen ratione subjectorum inter moratorias generaliter ab Imperatore concessas, & Speciales datas à Statibus deprehendere hic licet differentiam, scil. quod Imperatoris sint universales & in universo Imperio vim habeant ac observentur ab omnibus & adversus omnes: Illæ verò inter fines territorii Principis, à quo impetrantur, effectum saltem habent, cum aliis extra suum territorium jus dicere seu præjudicare nequeat *arg. l. 239. ff. d. V. S. l. fin. d. Jdict. Trentl. Volum. 1. Disp. 4. th. 5. Lit. C. ibique Bachov.* Ideoque nec debitores aliis in judiciis adversus arresta similesque processus per hæc tuti sunt, nec Creditores concedenti non subjecti observare tenentur, neque cum adjudicium Superioris causa devenit, juxta illa proceditur aut pronūciatur. *Hilliger ad Donell. lib. 22. cap. 9. lit. f. Schaffhausen in disp. de Præscript. morat. assert. 11. in fin.* Quibus igitur plenior placet securitas, ea apud supremum Imperii Dominum quærenda est.

THES. V.

Utrum verò Princeps insciis & invitis Creditoribus moratoria concedere possit, non caret controversia. Negant alii: Nobis affirmativa placet. 1. Quia Princeps

Princeps ex plenitudine potestatis hujusmodi dilatorias supplicanti debitori ex justis causis concedere prohibitus dici non potest, cum istis concessionibus nihil juris Creditoribus auferat, sed jus quod habent iis servet, licet executionem ejus, prout ipsi æquum atque ipsis Creditoribus utile esse videt, ad tempus aliquod remoretur. Princeps enim moveri debet Supplicationibus miserabilium debitorum, dum non contra jus quicquam petunt ac postulant *l. 7. C. d. divers. rescript.* Imo si Princeps ex justa causa potest tollere jus partis præsertim si jure Civili jus illud quisitum, princeps enim supra jus Civile est *Anton. Tessauro. Dec. 15. n. 4. & Decis. 83. n. 3. Petrus Anton. de Petra d. jure quas. per Princip. non toll. c. 28. n. 38. Augustin. Berojus vol. 1. Consil. 76. n. 116. seq. & Vol. 2. consil. 177. n. 7. 9. & 17. it. Vol. 3. consil. 147. n. 3. Jacob Menoch. Consil. 158. n. 36. & Consil. 250. n. 79. 80. & 105. Hieronym de Cavallas. spec. opin. commun. contra comm. Tom 2. qu. 578. & 579. Dd. per L. si contra jus vel util. publ. Myns. cent. 5. obser. 97. n. 4. Gail. 2. obs. 56. n. 1. multo magis poterit dilationem quandum juris alterius indulgere, cum concedendo moratorias, non permittit debiti abolitionem, sed puram ac nudam dilationem, cujus natura hæc est, ut actionem differat, non tollat. Justam autem commiserationis causam esse nemo negabit, ut bello vel simili casu fortuito depauperatis induciæ concedantur *Matth. de Afflict. decis. 377. in pr. maximè cum hic & verteretur bonum Reipublicæ, cujus interest, ne subditi prorsus depauperentur Novell. 8. in pr. §. consideravimus Mantz. d. Tract. Decad. 4. qu. IX. n. 27. & 28.* Interim Creditoribus, si forte eorum quidam Rescripto se gravatos prætendant viam juris præclusam esse nolim: Illud enim quod dixi, demum obtinet in causa primæ concessionis & Rescripti principalis, cui semper in est*

B

clau-



clausula, si ita est, & preces veritate nitantur, non vero in
causa approbationis & verificationis, quæ plerumque
concessionem principales subsequi & à Principe ad iudices
inferiores remitti solet, ubi ex acta cognitio instituitur.

THES. VI.

Publicarum concedendi ratione in levi manu dum at-
tigimus, ordo divisionis nos vocat ad privataram in-
duciarum constitutionem, & respectu harum Creditori-
bus disponendi arbitrium esse ex th. 3. constat, non quidem
ratione superioritatis, neque jurisdictionis, sed ratione
sui juris, quod habent ad rem. Cum enim liberam quis-
que de bonis suis habeat dispositionem possitque vel par-
tem debiti vel etiam integrum debitori remittere, quid
ni Creditoribus ex necessaria infortunii causa facultatibus
lapso debitori solutionis dilationem concedere liceret,
maximè cum & hic humanitas Creditorum quam *Jctus*
in l. 33. ff. d. Usuris desiderat, eorumque exinde redundans
utilitas, quæ in eo consistit, quod finito induciarum
induciarum tempore debita sua integra recipiant, coope-
rentur. De hoc autem dubitatum fuit, si quidem ex Cre-
ditoribus voluerint dare inducias quinquennales, quidam
verò velint cessionem eligere, quinam sint audiendi? Et
decidit hoc imperator satis distinctè *in l. fin. Cod. qu. bon.*
sed poss. addatur Magnific. & Excell. Dn. Brunnemann. Com-
mentar. in hanc Leg. ubi sic explicat Legem. Titius ob-
rutus est ære alieno, ideoque petit sibi consensu Credito-
rum dari quinquennales inducias, idque citatis Credito-
ribus. Sed quidam Creditores nolunt consentire in
inducias, sed urgent cessionem bonorum, alii autem in-
ducias. Quæritur quid hic iudici sit faciendum? Et Re-
spond.

spond. attendendam esse quantitatem, ut si Creditores, ab
 una parte ab majorem quantitatem debitorum sibi habe-
 ant obstrictum, horum voluntas aliis præponderet, v. g.
 Si quis mihi debeat 1000. aliis tribus Creditoribus tantū
 100. hic Ego præponderem solus *Mantz. d. l. n. 18.* & quam-
 vis hoc quoad verborum sonum duriusculum videatur,
 cum tamen ipsius magis inter sit, & merito ipsius major
 debet haberi ratio per text.: express. *in l. Majorem 8 ff. de
 pactis*, quam legem præmore suo accuratè diversimo-
 dè tam quoad debiti remissionem, quàm induciarum
 concessionem explicat & plura huc facientia cumulat
*Magnificus & Excell. Dn. D. Rhetius Doct. or. ac Patronus me-
 us etatem usq. colendus in Disp. erudit. de non gratificando c. 4.
 & s. jung. l. cum bona 16. ff. d. Reb. autorit. judic. possidend.
 Mantz. d. l. n. 18.* ubi dicit, non ex frequenti ordine Credi-
 torum sed ex quantitate debiti causam trutinandam. De-
 inde si par est quantitas, quod tamen rarò sit, tunc atten-
 dendus numerus Creditorum, ut plures numero Credi-
 tores concludant *l. 8. ff. d. pactis Mantz. d. l. n. 21.* Si æqua-
 les sit numerus, dignitatis habenda ratio *d. l. 8. ff. de pactis.
 Mantz. d. l. n. 25.* Si verò in quantitate debita & in nume-
 ro Creditorum est æqualitas, præferendi sunt qui ad hu-
 maniores inclinant sententiam, non cessionem exigen-
 tes, sed inducias indulgentes *d. l. fin. Cod. qui bon. ced. poss. l.
 majorem 8. ff. d. Pactis. Magnif. D. Pras. d. l.*

THESES. VII.

AN autē major pars prolubitu prodiga esse possit inin-
 dulgendis dilatoriis, sine ulla consultatione cum mi-
 nori, non levioris disquisitionis est? Negativa nobis arri-
 det: Omnes enim debent citari, convenire consentire *l. 7.*

B 2

l. 7. ff.



§. ff. d. Pact. ubi dicitur ita demum pactio creditoribus
obstare videtur si convenerint in unum & communi con-
sensu declaraverint, quota parte debiti contenti esse ve-
liant *l. fin. C. qui bon. ced. poss. §. fin. ibi ut omnibus in unum
convocatis* huc facit quod semper illi, de quorum præjudi-
cio agitur ad actum citari debeant *l. 47. ff. d. Re Jud. & l. 39.
ff. d. Adopt.* idque eò magis si eorum præsentia, alios in
aliam sententiam possit per movere *l. 97. ff. d. recept. qui ar-
bitr. recep. Strach. Tract. d. Decoet. p. 6. n. 9.* Quod si autem
per contumaciam rite à magistratu vocati, comparere,
nolint pro præsentibus & consentientibus habentur, &
præsentibus actum perficere possunt. *Rebuff. d. lit. dilat. art. 1.
gloss. 1. n. 55. l. 13. §. 4. C. d. judic. Auth. qua in provincia vers. si
nec ipse C. ubi d. Criminib. ag. oport. Novell. 69 cap. 3.*

THESES. VIII.

CAUSAM efficientem excipit causa impulsiva, qua Prin-
ceps ad concedendas inducias movetur, eaq; est de-
bitoris ære alieno oppressi legitima petitio & supplicatio
*l. 2. junct. a rubr. C. d. precib. Imp. offer. & d. l. ult. verb. cum soli-
to more à nostra Majestate petitur. C. qv. bon. ced.* Non pe-
tentibus enim dilationes haud solent concedi *l. 1. ibi postu-
lanti dare convenit C. d. dilationib. l. 31. ff. d. Re judicat. l. 2. ibi
si petantur C. ut intra certum tempus.* Nec magistratus
etiam inferiores regulariter officium suum impertiun-
tur, nisi fuerint implorati *l. 4. §. 8. ff. d. damn. infect. ibique
Gothofr.* Cumque concessio hæc contineat beneficium,
ut elucescit ex *rh. 2.* sequitur illud omnino petendum,
cum invito & nolenti non conferatur *l. 19. §. 2. ff. d. donat.
l. 69. ff. d. R. I.* atque hinc est, quod rescripta hæc non mo-
tu proprio, sed ad instantiam debitoris supplicantis con-
cessa

cessa præsumuntur *c. si motu proprio 23. d. præbent. in 6. c.* non enim scribitur, nisi scribatur, nec aliter rescribi solet, quã petitum est *l. 1. c. d. precib. Imp. offerend. l. 1. C. d. divers. Rescript. l. 15. C. d. transact.* licet non semper ad voluntatem, & instantiam partis *Vvesenb. in paratit. C. de precib. Imperat. offer. n. 2.* quod tamen ita procedere explicat Reinking. *d. R. S. & E. l. 2. Class. 2. c. 8. n. 17.* si Rescriptum principaliter ipsius partis inter esse respiciat, secus verò si publicam utilitatem, veluti si dilatio uno eodemque tempore omnibus & singulis debitoribus per Rescriptum concessa sit, hoc enim casu princeps non ad debitorum singulorum instantiam, sed attentã communi eorum calamitate rescripsisse præsumitur, vel si expressè clausula, motu proprio, rescripto inserta reperiatur.

THE S. IX.

DE causis tam efficientibus quam impulsiva huc usq; actum, sequitur ut ad subjectum ipsum seu personas quibus induciæ justè conceduntur, transeam. Er dantur præprimis Mercatoribus obnoxiiis ratiociniis & necessitatibus *Recess. Imperii de Anno 1548. & 77. t. t. von verdorbenen Kauff-Deuten.* Generaliter verò omnibus calamitosus debitoribus infortunio quodam, ut pote incendio, ruina, naufragiis, deprædationibus, furtis &c. vexatis, textus enim in *l. 2. l. 4. C. d. precib. Imperat. offer. & l. fin. C. quibor. ced. poss.* loquuntur indistincte, deinde ratio ac finis hujus beneficii unus idemque est, scil. ut tempore induciarum respirent, sibi que pingviorem procurent fortunam. Neque tantum privati debitores, sed etiam Universitas beneficiũ hoc implorare possunt, si per temporum injuriam eam in calamitatem devenerit, ut si-



ne suppetiis cluctari & ad meliorem fortunam'revenire,
non possit, sicut id præjudiciis firmat *Anton. Faber Cod. suo*
l. 1. tit. 9. defn. 18. & Matth. de Afflict. decis. Neapolit. 377. pr.
Dictæ enim LL. Cod. sunt generales & de quibusvis debi-
toribus loquuntur, Constitutio autem generalis non tan-
tum personas singulares, sed & universitates & Collegia
includit l. 22. ff. ex quibus causis major. l. 4. C. eod. l. 22. ff. de
fidejuss. neque potest dari diversitatis ratio, iniquum po-
tius foret, beneficia, etiam privatis concessa, Universitati
denegare, quam tamen non solum permultis privilegiis
de jure communi gaudere, sed & alias per se maxime esse
favorabilem satis superque constat vid. Mantz. d. t. Decad.
4. qv. IX. n. 29. Limn. in 1. P. l. 4. c. 8. n. 324. Ant. Fab. Cod. suo
lib. 1. tit. 9. defn. 18.

THES. X.

Dilatatio autem hæc legalis non sine discrimine omni-
bus debitoribus obærat patet. Enimverò non-
nulli ea frui indignissimi censentur, quos inter primo lo-
co pono Decoctores, mercatores fallitos & bæcæ rupto-
res, vulgo *Banckerottirer* qui suo vitio, oscitantia, aut
quovis facto spontaneæ sibi paupertatis authores sunt
Mantz. d. tr. decad. 4. qv. 9. n. 52. & luxu suo bona abliguri-
verunt, aliosque fruadulenter in paupertatem præcipita-
runt. Merito enim indignus est legis beneficio, in leges
qui committit l. 37. inf. ff. de Minor. & jura dolosis non
subveniunt l. 51. ff. de Rejudicata l. 1. in pr. ff. de dol. mal. nec
malitiis hominum indulgent l. 38. ff. d. R. V. ne cuique sua
prosit calliditas, aut ex delicto, conditionem suam faciat
melioem l. 11. §. ff. ad exhibend. l. 63. § 7. ff. pro soc. Non
enim beneficium hoc præsidium est Dolosorum, sed aty-
lum Calamitosorum R. J. de Anno 1577. tit. 23. Unde in
hujus-

hujusmodi Decoctores severissime animadvertere salutem esse mercaturæ probat *Strach. Tract. de Decoctorib. p. 3. n. 8.* eosque carceribus mancipari utilissimum & necessarium judicat *Mynsing. ad S. ult. Instit. de Actionibus n. 19.* Reipubl. enim interest, ne quis re sua mala utatur *S. ult. Instit. de his que sunt sui vel alien.* Hinc quoque poenam eorum vides consignatam in nov. mandato Civitatum Hanseaticar. Lubecæ impress. annoq; 1620. pro mulgato hac cum inscriptione: Mandatū wieder die Nuthwillige Fallirer und Banquerottirer. c. ibi auff solchen Fall soll nach vorgehender Declaration nicht allein die Schand-Blöße über Ihn geleutet sondern auch mit öffentl. anstellung an den Dranger / ewiger Verweisung und nach vermerckten Umständen / als ein Dieb an Leib und Leben gestraffet werden. c. 2. Mendaces, qui Creditoribus debita repetentibus illud abnegarunt malitiosè, ac postea manifeste probationibus convicti ^{cur} *Mynsing. cent. 2. obs. 15. n. 8. Tessaur. decis. 186. n. 7. in fin. Trentacinqu. 3. pract. resol. tit. de solut. resol. 1. n. 8.* Ubi id in poenam mendacii receptam probant. Constat enim quod LL. mendacia severè prohibeant, mendacesque maximopere detestantur ac puniant *l. fin. C. d. de accusat. & inscript. l. etsi legibus pen. C. si contra jus vel utilitat. public.* Exempla mendacii ejusque poenæ si desideras vid. sis *Disp. de Mendacio habita sub Magnif. DN. Præside Anno 1648. Thes. VII. VIII, & IX. & seqq.*

THES. XI.

Fulgaces etiam & fugæ se accingentes beneficio induciarum non gaudent *Surd. decis. 307 n. 19. Hilliger in Donell. lib. 22. cap. 9. tit. m.* Cum enim induciæ debitori-

bitoribus concedantur ut interea temporis respirare
& Creditoribus suis satisfacere queant, non videtur
eò respicere promissisque stare velle, latebras & sub-
terfugia quærens, huc facit quod omne privilegium & se-
curitas de jure concessa intelligantur rebus in eodem sta-
tu manentibus *l. 38. in pr. ff. d. solut.* & si contingat quidam
de novo emergere, cujusmodi hic est factum debitoris fu-
gæ se accingentis, novum etiam requiritur remedium.
l. 11. §. 8. ff. de Interr. in jure faciend. ibique Gothofr. Et quam-
vis regulariter in causa pecuniaria seu debito civili debitor
capi & incarcerari non debeat *L. 2. C. de Exact. tribut.*
cùm tamen nunquam magis Creditoribus metuendum
ne credita perdant, quam si debitor fugæ se accingit vel
jam sit fugitivus. Quapropter eum personaliter detine-
ri, jura permittunt *l. 10. §. 16. w. que in fraud. Creditor. l. 7.*
§. fin. ff. d. Satisdat. Berlich. p. 1. concl. 73. n. 23. 24. & 27. Gail. 1.
Ob. 26. n. 1. & 2. Sed ita, ut Creditor captum non detine-
at ultra 20. horas, sed judicis custodiæ eum cradat *Coler. d.*
Process. execut. p. 1. c. 2. n. 98. ne poenam incidat privati car-
ceris *Rubr. cum l. un. C. d. privat. carc. Gail. 2. d. P. P. 2. n. 33.*

THESES. XII.

Similiter generali rescripto moratorio non continen-
tur qui ex causa delicti conveniuntur *Mantz. d. tr. De-*
cad. 4. qu. 9. n. 49. Tessaure. decis. 182. n. 2. Anton. Faber. Cod. suo-
tit. 9. de fin. 20. n. 1. præterquam enim quod indignum sit
subvenire iis, qui culpa sua de pauperati sunt *l. ult. ff. qu. in*
fraud. Cred. & delinquentem in inprobitate sua adjuvare
commodumque concedere *l. 1. ff. de dol. mal. l. 31. ff. de Re-*
cept. arbitr. & malè merito succurrere, cum de jure ad dan-
dum aliis exemplum puniri & in super egestate laborare
debeat

debeat, uti dicitur in *l. 31. in fin. pr. ff. de pos. l. 6. in fin. ff. de custod. & exhibit. reor. l. 1. pr. C. ad leg. Jul. repetund.* Legibus etiam bene provisum est, per delicta ac reatum privilegia, si quæ delinquentes habent, prorsus amitti. *l. 1. C. ubi Senator. vel clarif. l. 4. ff. quod cum eo, qui in alien. potest.* Neque enim principes delictis viam aperire *l. 2. C. de his qui ven. atat. sed iis omni studio obviare solent l. 13. ff. de offic. presid.* Confirmat hanc sententiam *Ordinat: polit: de Anno 1577. tit. von verdorbenen Rauff-Deuten verb: Daß sie auß unversehnen zugestandenen unfällen in verderben gerahen.* *Mantz. d. l. Menoch. de arbit. jud. qu. cas. 203. n. 16. Thom. Grammatic. in addit. ad Matth. de Afflict. decis. 5. Nicol. Boër. decis. 349. n. 10. Strach. de decoct. p. 6. n. 20. Matth. Brun. d. cess. bon. qu. 26. pr. n. 4. 7. & seqq.*

THE S. XIII.

Amittitur etiam hoc beneficium proprio facto, v. g. cū huic beneficio in obligatione renūciatur *l. 46. ff. l. pen. C. d. pact. l. 41. ff. d. Minor. Nov. 136.* ex quibus constat, quod quilibet favori pro se introducto renunciare possit, & provisio hominis tollat provisionem legis *l. ult. C. de pact. cui accedit, quod beneficium hoc ut semel repudiatum redintegrari non concedatur l. ult. C. de Conditionibus insertis. & semel jus suum remittentibus, ad illud regressus denegatur l. 14. §. 9. ff. de Ædilit. Edict. l. 34. C. d. transact. l. fin. C. d. remis. pignor.* Unde & *Faber Cod. lib. 1. tit. 9. definit. 20. n. 15. cum Rebuff. tract. de lit. dilat. artic. 1. gl. 1. n. 27.* docent, Si quis renunciaverit impetrationi hujusmodi literarum ac dispensationi, & in literis postea impetratis fecerit mentionem de renunciatione impetrationis & non dispensationis, literas tanquam subreptitias, nullius esse momenti,

C

momenti,



momenti, quo tamen casu cessio iis adhuc salva manet, renuntiatio enim unius remedii, non statim est exclusio alterius *arg. c. nullus plurib. 20. d. R. J. in 6. l. 8. ff. d. Except.* Secundò proprio facto hoc beneficio indigni censentur, qui inducias moratorias legitimè quidem obtinuerunt, sed tempus iis præstitutū exire passi sunt, beneficio sibi indulto non utendo *arg. l. ult. d. feriis Hilliger in Donell. Lib. 22. cap. 9. Lit. m. Anton. Faber Cod. suo Lib. 1. tit. 9. defn. 20. n. 17.* Debitor enim sibi imputet, quod intra præfinitum temporis spatium iis non sit usus *L. quod quis 203. d. R. J. ubi damnum quod quis ex culpa & voluntate sua sentit, sentire nō videtur.* Potiù in dolo & maxima negligentia versari dicuntur ij, qui remediis oportunis, quib9 commodè fortunas suas reparare ac in meliorem statum restituere possent, non utuntur. *l. 29. in pr. l. 44. ff. mandat. iniquum autem est ex dolo vel culpa sua aliquem juvari vel etiam lucrum consequi l. 12. ff. de fer. l. 3. §. 1. d. donat. inter vir. & uxor.* facit insuper, quod qui rescriptum aut privilegium sibi competens non usurpavit aut opposuit, cum id posset, tacitè illi renunciasse censeatur *l. 7. C. qui accusare non poss. verb. si agere intra præscripta tempora superederit cause renunciasse intelligitur. c. cum olim 19. X. de censib. ibi: cui renunciasse tacitè videbatur,* lapsus enim temporis præstituti renunciationis vicem obtinet *d. l. 7. C. qui accusare non poss. l. 6. C. d. remis. pignor. Berlich. decis. 50. n. 21. & decis. 143. n. 11. & decis. 154. n. 1. Köppen Decis. qu. 1. n. 53. ubi dicit qui permittit certum & definitum tempus præterlabi, censetur juri suo renūciasse; idq; eò magis, quod principum beneficia semper cum tacita hac conditione concessa intelligantur, si impetrans iis uti voluerit. Hering. d. fidej. c. 10. n. 495. Mantic. d. conject. ultim. volunt. l. 7. tit. 10. n. 33.*

THES. XIV.

THES. XIV.

Tantum de personis, quibus moratoria denegantur, nunc ad objectum seu debita, pro quibus ea concedi nequeant. Restringitur enim hoc beneficium ex circumstantiis & quidem (1) ratione personarum, de quibus hactenus (2) ratione debiti, interdum causam habentis ex alio aliquo privilegio. Et sic primò non extenduntur moratoria ad Creditores, qui onus moræ ferre nequeunt, alias enim eorum jus non tam differretur, quam everteretur, v.g. si æque inopes vel pauperiores Debitoribus *Hilliger in Donell. lib. 22. cap. 1X. lit. m. Anton. Faber Cod. suo lib. 1. tit. 9. def. 20. n. 7. Matth. d. Afflict. decis. 377. Limna. l. 4. f. P. c. 8. n. 333.* imprimis quia Creditor de damno vitando certat, debitor autem cum damno Creditoris lucrum captare intendit, quo casu Creditori potius succurrendum est ex comm: Dd. *sententia. Besold. cons. 64. n. 70. Coler. de Process. Executivop. 2. c. 3. n. 126.* Cui autem probandi onus hoc in casu incumbat, an Debitori, qui Rescriptum impetravit, an verò creditori, qui se pauperiorem præ tendit *vid. Anton. Fab. d. l. n. 7. Matth. de Afflict. decis. 377. n. 4. & seqq. Rebuff. de lit. dilator. art. 1. gl. 1. n. 25.* Ubi notant, onus probandi incumbere Creditori, qui se dicit pauperiorem. II. Literæ moratoriæ non extenduntur ad debita Operariorum & mercenariorum vulgò Tag-und-Lidlohn-ner/qui ex sudore suo & opera quotidiana se suosque alere ac sustentare solent *Hilliger in Donell. lib. 22. c. 9. lit. m. Mantz. d. tr. decad. 4. qu. 9. n. 64.* horum enim salarium in jure Divino *Lev. 19. v. 13. Deut. 24. v. 14. Tob. 4. v. 15. Mal. 3. v. 5.* Canonico *c. quicumque 12. qu. 2. c. immolans. 14. qu. 5.* & legibus civilibus aliisque juribus positivis maximè est privilegiatum, convenit enim juri atque æquitati, alteri



interviens, mercedem ut accipiat *Matth. 18. v. 10*, nemini
que officium suum sit nocivum *l. 7. ff. Testament. quemad-*
aper. l. 61. ff. d. furt. Hinc & statutis plerorumque loco-
rum insigni præferentia gaudet *J. Sax. Sandrecht, lib. 1.*
art. 22. const. Nov. Aug. p. 1. Const. 28. Jus Lub. l. 3. t. 1. a. 11.
Mantz. d. l. n. 64. & 65. Hillig. in Donell. lib. 22. c. 9. lit. m.

THESES. XV.

Tertio moratoria ad debita Ecclesiastica vel piarum
causarum non sunt porrigenda: *Magnif. D. Brunne-*
wann. ad l. 2. C. d. Precib. Imp. offer. Mantz. d. l. n. 67. Hillig.
in Donell. lib. 22. tit. 9. l. m. Anton. Faber. Cod. lib. 1. t. 9.
def. 20. n. 10. Ecclesia enim & pia causa in omni dispositio-
ne excepta censetur, eique perpetuo favetur, cum sum-
malis ratio, que pro religione facit *l. 43. ff. d. Religios. & sunt.*
fun. ideoque non est verisimile, Principem sub rescripto
generali ea debita comprehendere voluisse *c. cum in gene-*
rali 3. de off. vicar. in 6. c. cum in generali 81. d. R. J. in 6. Me-
noch. arb. jud. qu. 203. n. 20. Mantz. d. l. addatur Limna. lib. 4.
c. 8. n. 333. ubi, licet, inquit, Rescripta moratoria Ecclesiarum
debita non comprehendant: Nolim tamen Ecclesiam
privilegium suum acerbè, contra summam paupertate op-
pressum, exerceat: Ejus quippe proprium est, egenorum
rationem habere, adeo, ut pauperum causa res Ecclesie,
quæ alias regulariter commercium respuunt *§. 7. & 8. Inst.*
d. R. D. vendi & distahi possint Bartol. ad l. sancimus 21. n. 17.
C. d. SS. Eccles. Reinking. de R. S. & E. lib. 3. cl. 1. c. 3. n. 4. & seqq.
Bachov. vol. 2. disp. 20. th. 1. lit. 6. Quarto non producun-
tur hæc rescripta ad debita pupillaria *Magnif. Dn. Pras. d. l.*
Mantz. d. l. Hillig. in Donell. lib. 22. c. 9. lit. m. Minorum e-
nim ac Pupillorum maximus est favor, utpote in statu mi-
sera-

terabilium personarum constitutorum *l. unic. junct. rubr.*
C. quand inter pupill & vid. & ab ipso DEO tam serio fidei
 & protectioni principum commendatorum ut videre est
Exod. 22. v. 22. Esa. 1. v. 23. Jerem. 5. v. 28. Zachar. 7. v. 10. Sva-
 det enim naturalis æquitas, ut propter fragile & infirmū
 ætatis consilium, multis captionibus suppositum, multo-
 rumque insidiis obnoxium, iis succurratur *l. 1. pr. ff. d. Mi-*
norib9. Deinde Ecclesia & pupillus quoad concessa privile-
 gia æquiparari solent *c. 1. d. in integr. restit: Anton. Faber Cod.*
lib. 1. tit. 9. def. 20. n. 10. æquiparatorum autem idem est
 iudicium *Schneid. §. sed non usque Inst. d. Leg. arg. l. illud 37.*
pr. ff. de mort. causa donat. Card. Tusch. Lit. A. concl. 174. &
Lit. e. concl. 308. hinc humanius *Hillig. in Donell. lib. 22.*
cap 9. lit. m. generalibus quoque rescriptis pupillare debi-
 tum contineri putat, præsertim si ipsi pupillo sit, unde se
 exhibeat, nec ex dilatione grave dispendiū oriatur. Tunc
 enim major merito favor egestatis, quam ætatis. *Mantz. d.*
t. Decad. 4. qu. 9. n. 71. An numero pupillis egenas viduas,
arg. rubr. & l. unic. C. quand. Imp. inter pup. & vid. qui pro-
 pter honestatem, cui student ab Imperatore laudantur sæ-
 pissimè *Nov. 2. c. 3. Nov. 22. c. 4. Fr. Vivius l. 3. d. 454. n. 12.*
 & seqq.

THES. XVI.

Quintò excipiuntur debita fiscalia *l. 3. C. d. prec. Imp.*
off. Nov. 17. c. 7. §. 1. Th. Grammat. in add. ad Matth. de
Aff. d. 5. n. 5. non enim credendum, principem generali suo
 rescripto ea comprehēdi velle, cum ea quæ damnosa sunt
 fisco, censeantur esse subreptitia, ita ut nequidem postu-
 lari, multo minus impetrari debeant *d. l. 3. C. d. prec. Imp. off.*
 accedit quod debita fiscalia principis sint quasi propria ac
 privata.

privata l. 2. §. 4. ff. *ne quid in loco publ.* unde & principis bona patrimonialia & fiscalia in jure æqui parari & paribus privilegiis gaudere volunt *Dd. arg. l. 3. C. d. quadrienn. prescript.* insuper salus publica exigit, ut debita fiscalia, ad e jus onera sublevanda, citissimè exigantur. *Nov. 17. c. 7. §. 1.* quapropter princeps contra se ipsum dedisse privilegium non præsumitur. *c. cum in generali. d. off. Vicar. in 6.* Sextò generali Rescripto non comprehenduntur debita futura quæ post impetratum rescriptum contrahuntur *Anton. Faber d. t. 9. def. 1. n. 2. & def. 6. n. 4. def. 16. & 20. n. 2.* quæ enim in præteritum aut præsens conferuntur privilegia, ultra intentionē constituentium, ad posterius non sunt extendenda *arg. l. 7. ff. d. aur. & arg. l. 24. §. 2. ff. d. liber. legat.* cumque tempore impetrati Rescripti nequidem de his cogitatum fuit, merito ad casus in cogitatos *arg. l. 9. §. 1. ff. d. transact.* & futuros non extenditur *Clem. ult. d. Rescript. arg. l. 28. ff. de liberat legat.* Et verborum interpretatio fieri debet ratione ejus quod respexit is, qui protulit, non videtur autem eò respexisse Princeps qui concessit, est enim natura dispositionis generalis, ut intelligatur tantum concessa rebus sic stantibus *l. 8. ff. d. condict. causa data & futura non includit, sed in præsentem tantum operatur d. l. 7. d. aur. & arg. leg. l. 89. §. 1. ff. d. legat. 1. l. 34. §. 1. l. 41. §. 4. ff. d. legat. 3. Hillig. in Donell. lib. 22. cap. 9. lit. m. Mantz. d. l. n. 8. Card. Tusch. Lit. M. concl. 383. n. 5.*

THES. XVII.

SEPTIMÒ opponi nequit exceptio moratoria debitis juratis *Magnif. Dn. Pres. ad l. 2. C. d. prec. Imp. off.* hæc enim generali concessione non continentur, in tantum ut Princeps concedendo hujusmodi Rescripta generaliter, debito ju-

to jurato derogare voluisse non præsumatur. *arg. c. 19. X. d. Rescript. Farinac. in prax. Crim. l. 1. t. 4. qu. 22. Matth. de Afflict. dec. 5. Boër. dec. 296. n. 5.* quia ejus dispositio generaliter loquens nõ trahitur ad casum, in quo intervenerit juramentum *Afflict. d. l.* Sed non ineleganter hic quæritur, utram sit dicendus per jurus, qui certo die se soluturum juravit, prohibente autem paupertate non valuit? Quod negandum. *Ebert. Speckhan. cent. 1. qu. 37. n. 15. Gaib. 1. obs. 142. n. 4. Myns. 4. obs. 97. n. 7.* cum enim perjurium nihil aliud sit, quam mendacium jurejurando dolosè firmatum & species læsæ majestatis divinæ, quia perjurus pietatem ac religionē violat & nomine DEI abutitur *Hahn. ad Vvesenb. d. jurejur. n. 13.* perjurii pœnam non incurrit qui sciens fallere non videtur *l. 26. in f. pr. ff. d. jurejur.* nam is inquit ibi *Gothofr.* perjurii reus est, qui sciens fecellit. Et hæc solennia erant jurisjurandi verba: Si sciens fallo, me Deus piter salva urbeque arceque ejiciat, &c. Neque enim tam tristem casum extremæ necessitatis & infortunii ab initio contractus cogitavit, aut animo prævidere potuit, & promissio jurata recipit eam interpretationem, si res in eodem statu manent, *arg. l. 54. §. 1. ff. locati. L. fin. ff. ad Municip.* unde & ex causa de novo superveniente à jurejurando citra perjurii crimen recedere licet *c. quemadmodum 25. X. d. jurejurand. ut taceam, quod à perjurio excuset necessitas arg. c. si nulla 15. 23. qu. 8. c. presbyteros 32. dist. 50. ea enim legem non habet c. discipulos 26. de consecrat. dist. 5. c. 51. quis propter. 3. X. de furt. Hilliger in Donell. lib. 22. cap. 9. lit. m. ibique Covarruv. ad c. quamvis 2. d. pact. in 6. p. 2. §. 5.*

n. 4. Fr. Viv. decis. 38. n. 3.

THES. XVIII.

THES. XVIII.

ASolent hic inquirere, cuius sit iuramenti relaxatio, an solius Pontificis ac Personarum Ecclesiasticarum, an verò & Principum. Et sanè (licet in casu proposito moratoriorum non tam aboleatur iuramentum, quam potius ejus vires suspendantur, quia exinde principalis obligatio non tollitur; sed tantum ad tempus differtur, neque hic disputatur de viribus iuramenti an, sc. id licitum sit, nec ne, sed tantum de ejus observantia & executione) neminem latet, olim, ubi Pontifices Romani & Magistratus Ecclesiastici erant incogniti omniaque solis Imperatoribus & iudicibus secularibus suberant, jus relaxandi iuramenta ad Magistratum politicum pertinuisse *l. 6. §. ult. ff. d. jure patron. l. ult. ff. qu. satisd. cogant. l. 38. in pr. ff. ad Municip.* Postea Pontifices, nimia Principum coniventia, introducto Magistratu Ecclesiastico & peculiari suo dominio, sibi solis hanc potestatem vindicarunt causasque iuramentorum, tanquam spirituales & peccatum concernentes, ad se traxere *cap. novit. 13. X. d. judic. c. venerabilem. 34. X. de Elect.* Successu tamen temporis iterum transiit ad Imperatores *Th. Gramm. dec. 12. n. 15. & Cameram Spirensis. O. C. p. 2. tit. 24. von Relaxation der Ende Gail. l. 1. obs. 22. & 25. n. 2. Mynsing. cent. 3. obs. 99. Fachin. l. 3. contrav. c. 13.* Et de Principibus Augustanæ confessioni addictis minus dubitandum, cum ex constitutionis Religiosæ permissu, etiam Episcopali utantur potestate & ipsa negotia Ecclesiastica coram iis vel consistoriis eorum Ecclesiasticis tractandæ sint, Episcoporum & Prælatorum jurisdictione hac in parte suspensa *Recess. Imp. de Anno 1555. August. §. Damit auch obberührter beyder Religionsverwandten. c. Hahn. in not. ad Vvesenb. d. jurejur. n. 14. Mantz. d. tr. n. 59.*

n. 59. Wilhelm. Anton. de Rescript. Morat. concl. 30. n. 30.
& seqq. Reinking. d. R. S. & E. lib. 3. cl. 1. c. 9. n. 55.

THE S. XIX.

DEinde ex conditione debiti generali quoque rescripto non continentur debita, quæ ita sunt privilegiata, ut moram solutioni fieri non conveniat *Hilliger in Donell. lib. 22. c. 9. lit. m. Boër. decis. 296. n. 4. Surd. decis. 323. n. 7. Anton. Faber d. l. def. 20. n. 12. Limna. in I. P. lib. 4. c. 8. n. 333. uti sunt (1.) Deposita, quod sine obstaculo restituendum l. 11. Cod. depos. l. 1. §. 22. l. 7. §. 2. ff. eod. unde qui illud abnegat & restituere moratur, in dolo versatur d. l. 1. §. 22. ff. eod. l. 13. inf. h. t. & quidem omni tempore, quo depositarij voluerit restituendū *Gudelin. d. jure noviss. l. 3. c. 2. inf.* licet pactū intervenerit de certo die restitutionis l. 1. §. 45. ff. eod. *Hahn in not. ad Vvesenb. tit. depos. n. 5. vers. (ine ulla mora)* (2) Debita ex causa locati. *Hilliger in Donell. lib. 22. c. 9. lit. m. Boër. decis. 296. n. 4. Faber. d. def. 20. n. 5. Limna d. l.* quia acquisitio pensionum ex re locata fructibus & alimentis æquiparantur *arg. l. 27. §. 1. l. 29. ff. d. hered. petit.* Domorumque pensiones adeo privilegiatæ sunt, ut certis pœnis subjiciantur pensionem solvendam retinentes *Auth. sed jam cautum. Cod. depos. Nov. 88. c. 2.* ut raceam, aliquando locatores ex ædium pensionibus sibi suisque victum atque alimenta quærere, unde & loco fructuum esse dicuntur *d. l. 27. §. 1. & l. 29. ff. d. hered. pet.* alimentorum autem causam maximè favorabilem ex sequentibus jam apparebit. (3) Debita alimentorum, quæ in jure, imprimis futura, causæ necessariæ & vitæ subsidium dicuntur *l. 1. C. d. oper. libert. l. 5. C. d. patr. potest.* iisque deductis vel suspensis hominis vita consistere nequit *l. 6.**

D

ff. d.



ff. d. aliment. & ciba. leg. cum necare videatur, qui alimenta denegat l. 4. ff. d. agnosc. liber. quorum tantus favor, ut instar piarum causarum habeantur l. 14. §. 1. ff. d. aliment. & Cib. legat. Novell. 131. c. 13. & feriatis diebus Prætor eorum causa adiri possit. l. 2. ff. d. feriis. Hinc non præsumitur, principem, ut justissimum, in specie ad solvendum debitum alimentorum generali suo rescripto dilationem concessisse. Sed uti præmissum, obtinet hoc saltem in debitis futuris & si ea pauperi debentur, secus si Creditor sit dives, vel de alimentis præteritis agatur, utroque enim casu cessat ratio assertionis, quæ potissimum militat in alimentationis necessitate & ut vita à fame conservari possit. His (4) subjungo causam studiorum, quorum etiam maximus est favor, hinc expensæ studiorum dicuntur necessariæ, l. 6. §. 5. ff. d. Carbon. Edict. & studiosis competunt personarum miserabiliū privilegia, Auth. habita. C. Ne. filius pro patre ib: de divitib. pauperes. Cumq; causa hæc concernat utilitatem publicam, d. auth. & §. fin. Inst. in proëm. generalia rescripta nullius hinc erunt momenti. Ut taceam causam hanc æquiparari piis causis dict. auth. iisdemque frui privilegiis quàm dos, de qua Thes. seq. L. 4. ff. ubi pupill. educ. l. 12. §. pen. ff. d. administrator. Limna. d. l. n. 333. Anton. Faber. d. def. 20. n. 11. Hillig. in Donell. lib. 22. c. 9. l. m.

THESES. XX.

CAusam studiorum excipiunt (5) debita dotis Hil-
lig. in Donell. d. l. cujus causa nullam admittit retardationem l. unic. §. 5. C. d. Rei uxor. act. Reipubl. enim interest mulieres dotes habere salvas, propter quas nubere possunt l. 2. ff. d. Jure dot. & Jctus in l. 1. ff. solut. matrim.
 Dorum,

Dotium, inquit, causa semper & ubique est præcipua, quia publice interest, dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse foeminas ad sobolem procreandam replendamque liberis civitatem, maximè sit necessarium. Hinc in ambiguis pro dotibus assolent respondere *l. 85. pr. ff. d. R. I.* quæque benignior pro dote sententia in iudicando obtinet *l. 9. §. 1. ff. d. jure dotium*. Per multa quoque singularia in favorem mulierum ratione dotis constituta videmus, de quibus *Mynsing. 3. obs. 3.* ubi potiorum privilegia recenset. *Et Vincent. de Franchis decis. 219. n. 2. & 3.* generalis, inquit, constitutio dotem non comprehendit *arg. l. 12. ad Sct. Vellejan. l. 18. §. 3. ff. d. allegat. l. fin. Cod. d. jure dot.* adjicit rationem: quia maritus ex hac dilatione maximum sentiret damnum, cum sustineat onera matrimonii & careret fructibus ex dote provenientius. Neque (6) Rescripto generali compensatio debitorum comprehenditur *arg. l. f. C. de Compensat. Limna. d. l. n. 333. Anton. Faber. d. loc. defn. 13.* ubi præjudicium addit. Nulla enim ratio subest, cur Creditor contra debitorem beneficio induciarum gaudentem compensare non possit, atque huc pertinet, quod de æquitate compensationis *in l. 5. §. 6. C. de Compensat. & in l. 3. ff. eodem.* dicitur scilicet quod inter sit potius non solvere, quàm mox solutum restituere, cum fieri possit, ut per inopiam debitoris vel alia de causa, inanis fiat actio, *Perez. ad Cod. d. n. 2.* quod antequam in dolo est, qui poscit, quod statim restitutus est *l. 173. §. fin. ff. d. R. J.* aut aliqua exceptione elidi potest *l. 2. §. 2. & l. 12. ff. d. dol. mal. except.* Deinde facit huc & ratio ab *Anton. Fabro* adducta, quod aliud sit petere, aliud autem retinere, eamque probat *per l. 6. ff. d. Compensat.* ubi etiam id quod natura debetur, in compensationem venire dicitur. Ita etiam prohibitus

petere non censetur prohibitus retinere *l. 77. §. 28. ff. d. legat. 2. l. 33. ff. d. condict. indeb.* & facilius est retentio, quam actio *l. 1. in pr. ff. de pignor.* Unde & excipiendo opponere licet, quod agendo allegare permixtum non est *l. 1. §. 17. ff. ad l. falcid. arg. l. 14. ff. d. in jus vocand.* & quamvis in *l. amplius non peti 15. ff. rem rat. haberi* etiam petere dicatur, qui compensat, id tamen non proprie, sed inspecto effectu fieri docet *Faber d. defn. 13. n. 4.* quia tantumdem consequitur compensando, quantum si peteret: at hic sermo est de eo, qui non absolute petere prohibetur, sed ad tempus tantum, nec ut debiti iacturam faciat, sed ne inquietet debitorem. *Vid. Faber, d. l.*

THESES. XXI.

DEnique nec ad Edulia & commestibilia in pleno, quod ajunt, foro mercatuque comparata, moratoria exceptio extendenda, *Hilliger in Donell. d. l. cap. 9. lit. m. Boër. dec. 296. n. 6. Anton. Faber. def. 20. n. 13.* Iniquissimum enim foret, & non minus utilitati, quam necessitati commerciorum damnosum, si emtor sumeret rem, & compellatus de solutione, hoc se vellet tueri privilegio *arg. l. 2. C. d. nundin.* Insimulque & rem & pretium retinere, quod à bona fide adeò alienum, ut nec expressa fieri possit conventionel *l. 50. ff. d. act. empt. l. 11. 12. §. 18. ff. eodem.* Maxime enim necessarium est commestibiliū commerciū, uti omnes negotiationes, quibus annonæ prospicitur, Reip, maxime sunt utiles & necessariae; ideoque summo favore prosequenda *l. 5. §. 3. ff. d. jure Immunit. l. 2. §. t. t. ff. ad Leg. Jul. d. Annon.* unde & *l. 2. C. de nundin.* statim & in promptu solutionem desiderat, *Hilliger in Donell. d. l. Mantz. de tract. n. 76. §. 77.*

THESES. XXII.

T H E S. XXII.

NE verò justo diutius, aliis necessariis relictis, circa
 Objectum nostri thematis versemur, ratio quoque
 formæ pro temporis ratione habenda erit, eamque con-
 sistere volumus (1) in modo impetrandi (2) in tempore
 durationis & (3) in constituenda cautione à parte debite-
 ris. (1) Quoad modum, debet hic fieri per libellum pro
 impetranda dilatione oblatū *Coll. arg. l. 44. tit. 1. th. 101.* qui
 concludens esse debet & sequentia contineat (1) Suppli-
 cans sine dolo & fraude explicet casum fatalem, quo ad
 tenuiorem fortunam redactus sit. *P. D. d. Anno 1548 §. fin.*
& 1577. §. fin (2) casum illum sufficienter literis testimo-
 nialibus probet *P. D. d. l. ibi* es sey dann zuvor die Käy-
 serl. Majest. von der Oberkeit darunter sie gefessen ei-
 gentlich berichtet und vergewissert/ oder daß die Kauff-
 Leute gläubliche Uhr-Kunden fürgebracht ic. (3) dicat
 se habere adhuc solvendi animum *P. D. §. f.* solutionem
 autē præsentem esse impossibilem, nec aliter quàm post
 impetrata Rescripta fieri posse *Mantz. d. l. n. 31.* cuiusmodi
 exemplum etiam nobis præbet *Diploma Frid. 2. apud Lim-
 ne. Jur. Publ. lib. 7. c. 19. ibi* Des allerunterhänigen
 schuldigen Erbietens ic. Hernacher ihre Creditoren/
 was sie dessen bey wehrenden diesen Zustand nicht ent-
 richten können/ nach Ausgang desselben ihrer recht-
 mässiger Schuldforderung halber eussersten vermö-
 gens zuvergleichen ic. Hæc si desunt, rescriptum cen-
 setur obreptitiè impetratum & nullius est momenti. *Gail.
 lib. 1. Obs. 14. R. Imp. d. An. 1548. d. t. ibi.* wo aber die.

D 3

T H. XXIII.



THES. XXIII.

NUm autem induciæ iterato concedi possint, non incommode hic quæritur? & licet Jcti communioribus ferè calculis statuant, moratoria rescripta non nisi semel posse impetrari, post lapsum temporis non reiteranda *Mevius in discuss. levam. inop. deb. cap. 4. Sect. 8. n. 18. Anton. Faber, in Cod. d. t. 9. defin. 1. n. 3. Finckelthaus, in diss. de morat. prescr. qv. 9.* cum ratio, quare concedantur, tantum sit, quod creditor ex mora modici temporis magnum damnum non habeat *L. 2. C. d. de prec. Imp. off. & L. 21. ff. de judic.* damnum autem maximè sentiret, si tempus aliud adhuc ei indulgeretur; accedit, quod in causis pecuniariis regulariter semel tantum dilatio indulgeatur, *L. 7. & 10. ff. de feriis:* & regulariter quælibet dispositio restringatur & consumatur in actu primo, ac de una vice solum intelligatur. arg. *L. 89. §. 1. ff. de V. S.* Attamen iidem concedunt, si justa, rationabilis & urgentissima accedat causa, iteratò dilationem posse concedi, *Carol. de Grass. in Tract. de Except. c. 32. n. 11. Finkelthaus, d. qv. 9. & Mevius alleg. loc. V. Wilhelm Anton. de Rescrip. morat. concl. 56. n. 35.*

THES. XXIV.

TEmpus, quod debitoribus respirationis causa conceditur, quandoque brevius quandoque longius, uti id ipsum princeps, secundum circumstantias infortunii & personarum, ex humanitate & gratia definivit: quinquennium tamen in usu magis receptum *Limna. Lib. 4. c. 8. n. 321.* Unde etiam dilationis quinquennalis mentionem cum muniter fieri legimus in *L. fin. C. qv. bon. ced. poss. Recess. Imp.*

Imp. de Anno 1548. d. t. De tempore Dd. non con-
veniunt, an scil. dilatio illa moratoria ad illud quin-
quennium ita sit restricta, ut princeps, ultra illud spatium
longius interstitium indulgere non possit? Et quanquam
illud quinquennium satis longum videatur, ut interea
debitor rebus suis consulere & pecunias ad debitorum ex-
solutionem conquirere possit, & si adhuc longius conce-
deretur Creditoribus sane damnum inde suboriretur,
quia diutius solutionem expectare cogerentur, atque ita
cum graviore præjudicio Creditorum hoc fieret contra
L. 2. C. de precib. Imp. offer. Limnaus autem *Lib. 4. c. 8. n. 323.*
potestatis, inquit, & arbitrio Principis neminem hic me-
tam ponere arbitror, modicum enim illud tempus non
ex certo annorum spatio, sed ex ipsa re hic est definien-
dum, hinc licet Princeps non facile quinquennium illud
excedere soleat, circumstantiæ tamen & gravissimæ causæ
urgeant, princeps etiam ulteriorem dilationem conce-
dere potest. Et *Limnaus, loco citato*, dicit se novisse, præ-
gnantibus ex causis Civitati eadem Octennales ab Im-
peratore datas fuisse.

THESES. XXV.

Illud etiam hic videndum à quo tempore rescriptum
moratorium currere incipiat? Et sicut in cæteris Re-
scriptis & privilegiis, quibus certa meta præscripta, tempus
dati inspicitur, & inde cõputatio fieri solet *c. eã te 7. ib. Felin.*
n. 18. X. de Rescript. Vincent. de Franch. decis. 62. n. 1. decis. 326. n.
1. Luc. de Penna in L. 1. C. de Præfect. Prætor. ita etiam mora-
torium indultum incipit currere & effectum habere ex
isto tempore, quo fuit impetratum, ut ut serius præsentat
rum



tum vel exhibitum sit. *Carol. de Grass. in Tr. d. Except. C. 32. n. 47. Brun. de cession: honor. qv. 26. pr. n. 3. Guid. Pape decis. 109. n. 1. Anton. Cuch. in tr. de morator. prescript. n. 152.* nisi ipse concedens alios terminos indulgi præfinierit. Quod etiam factum intelligitur, si effectus rescripti forte suspensus fuerit, per cognitionem adhuc instituentiam de æquitate ejus vel de veritate in supplicatione allegatorum, sicut nonnunquam principes indulgent dilationem; cum clausula, si preces veritate nitantur, remissa inquisitione ad inferiores judices, ubi debitores conveniuntur. Quod si certum tempus tunc additum sit, non incipit currere, nisi reperta precum veritate, vel tunc demum impleta conditione, maximè si forte creditor resistat intentioni debitoris, qui & sibi met imputare debet moram, quam accusavit. *Faber Cod. Lib. 1. tit. 9. def. 3.* Nam JCTis hoc semper æquum visum, tempus impedimenti non computari in termino, nec currere impedito, præsertim si ex pacto partis vel judicis nascatur impedimentum *arg. L. quib. 40. ff. de condit. & demonstr. L. non exigimus 3. §. si quis & §. quod diximus 6. ff. si quis caut. L. 1. §. 2. C. de Annal. Except. Gail. 1. Obs. 143. n. 4. Mascard. de probat. concl. 1229. n. 89. & seqq.* Quare si debitor forte tempore impetrationis in carcere sit aut sub arresto detineatur, atque ita non fruatur rescripto, non prius tempus illi insertum, etsi scriptum fuit, quod à die dati currere debeat, computatur & currit, quàm illud impedimentum fuerit remotum. *vid. Faber. d. t. 6. dec. 2. n. 3. & seqq. Finckelth. in disp. de morat. prescript. qv. 8. v. nisi debitor.*

THES. XXVI.

Praterea forma horum rescriptorum idoneam desiderat cautionem *Magnif. D. Pras. in parat. Vvesenb. de*

608-

constit. Princ. qv. 12. neque enim aliter rescripta valere dicuntur, L. 4. C. de precib. Imp. offer. nisi idonea fidejussio præstetur add. L. 21. ff. de judic. verb. cum competenticaute- la. Ratio autem præstandæ cautionis videtur, ne bona quæ durantibus induciis adhuc salva habet, intermedio tempore consumat, dissipet, aut cum iisdem aufugiat, atque ita Creditoribus suis iniquè defraudet debitis. *Limnae. in J. P. L. 4. c. 8. n. 329. Mantz. d. Tract. n. 36. Wurmff. Lib. 1. pract. obs. tit. 28. L. 9. n. 2. & quamvis in dd. Recess. de Anno 1548. & 1577. fidejussionis nulla expresse fiat mentio, non tamen etiam expresse remittitur, tacite potius & generaliter eam dd. constit. approbari, docent verba und den gemeinen Rechten nach/ gegen ihme gehandelt werde/ quæ, licet aliò etiam, quàm ad inducias trahi possint, interim tamen sicut expresse in præcedentibus jus commune observandum esse dicitur, ita & in posterioribus, si jus commune non esset observandum expresse adjici debuisset; quod itaque correctum non est, cur stare prohibeatur? videatur hic *Limnaeus dict. loco.* Quod autem de præstatione cautionis idoneæ dixi, tum demum obtinet, si creditores fidejussionem hanc petant *Mantz. d. tract. d. 4. qv. 9. n. 39. Gail L. 1. obs. 124. Hering. de fidejussor. c. 5. n. 139.* neque enim regulariter Princeps cautionem hanc motu proprio exigere solet, sed à Creditoribus, de quorum præjudicio hic agitur, petenda est. Neque etiam satisfactio hæc est de essentia hujus beneficii, seu necessaria simpliciter, sed tantum secundum quid, scil. si illa petita fuerit. Nec quicquam attinet ad principem, multo minus debitoris commodum spectat, ut illa præstetur: hic enim potius se sublevare, quam onerari malle præsumitur; Sed tantum ingratiam Creditoris, ut ejus Creditum magis in*

E tuto

tuto sit, ideoque si postea damnum sua ex negligentia senserit, sibi habeat *L. 203. ff. de R. J. l. 16. ff. ex quib. caus. major. add. l. 2. §. 1. ff. quod Legat.*

THES. XXVII.

Subjiciunt hic quaestionem, An, si debitor ob paupertatem fidejussores reperire nequeat, ad cautionem juratoriam admitti debeat nec ne? & affirmativa sententia verior videtur, idque ex regula communi, quod, quotiescunque reliqua satisfactionum genera deficiunt, toties in casum necessitatis juratoria exigatur cautio *L. 1. §. 2. C. de adfert. tollend. Auth. generaliter Cod. de Episcopis & Cleric. Treutl. Volum. 1. disp. 5. th. 2. lit. b. Bachov. §. 2. Instit. de satisfat. n. 1.* huc facit, quod cum cautio exigitur, talis requiri videatur, qualis à debitore praestari potest. *gloss. in cap. ex part. 23. in f. de V. S.* quia ad impossibilia nemo obligatur *L. 18. ff. de R. J. in 6. Zoës. ad ff. qui satisfat. cog. n. 7.* accedit quod inhumanum ac contra aequitatem esset, miseris & rerum inopia oppressis, denegata cautione juratoria, novam adjungere calamitatem *juxta l. 6. ff. de juré dot c. ex parte 5. X. de Cleric. agrot.* nunquam enim vel certe rarissimè inveniri possunt, qui pro miseris hujusmodi creditoribus suam velint interponere fidem. Unde si praecise fidejussores desideramus, usus induciarum iisdem, qui maximè iis frui deberent, vel penitus praeccluderetur vel saltem rarissimè concederetur. *Limneus d. l. n. 329. Anton. Faber Cod. Lib. 1. def. 21. n. 4.* ubi hodie juratoriam cautionem sufficere pragmaticorum Galliae testimonio tradunt. *Rebuff. de lit. dilator art. 1. gl. 1. n. 50.* addit autem *Habn. in parat. VVesembec. t. qui satisfat. cogant in not. ad n. 10.* tum demum admittendos esse ad cautionem juratoriam

toriam, si sint vitæ integritate conspicui & aliis probæ existimtionis, secus si propter vitam improbam & fugæ suspicionem cavere non possint, *arg. l. 7. §. fin. ff. qui satisfacere cog. Gail. L. 1. Obs. 147. 148. Myns. cent. 2. ob. II. Boër. decis. 296. n. 1. Mantz. d. l. n. 34. Carpz. asyl. debit. th. 61. n. 30.* Sed quid si princeps rescripto suo dicatur vel videatur remississe fidejussionem vel cautionem, annon obstante tali prætensa remissione, debitor, si beneficio rescripti gaudere velit, teneatur cautionem præstare? quod affirmat *Vürmser. tit. 28. obs. 9. Finckelthaus. in disp. de Rescript. morator. th. 12. Carpzov. Asyl. debit. th. 61. n. 30.* Principes enim in beneficiorum concessionibus semper juris dispositioni se solent conformare, nihil que aliud velle ac rescribere præsumuntur, quàm quod jura volunt *l. 35. in pr. C. d. inoff. testam. §. ult. Inst. quib. mod. testament. infirm. de jure autem obtinet, ut ipse Creditor, in casu quo debitori dat dilationem etiam cautionem de solvendo exigere possit juxta L. 21. ff. de Judic. accedit quod facilè evenire possit, ut omissa sufficienti cautione, propter debitoris vel fugam vel ulteriorem bonorum profusionem Creditor damno afficiatur; Rescriptum autem principis captiosum & damnosum esse non debet *L. 8. ff. de prator. stip. L. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publi. Mantz. d. tract. n. 37.* Non tamen procedit hæc assertio, si in rescripto expresse reperiatür clausula: *non obstante.* Eo enim casu, cum constet principem ex certa scientia & justis ex causis commotum rescripisse & sua potestate uti voluisse, etiam invitis Creditoribus fidejussoriæ cautioni locus non est, *Matth. de Afflict. decis. 378. n. 3.* quia ista clausula est juris derogatoria idemque operari videtur, quod clausula de plenitudine potestatis, *Brun. de cession. bonor. qv. 26. n. 3. 4. 5. Mantz. d. tr. d. 4. qu. 9. n. 106.**



THE S. XXVIII.

Tantum de forma. Superest ut de fine & effectu pauca pro temporis ratione addamus. Est autem duplex horum Rescriptorum finis (1) respectu debitorum, ut à quotidianis creditorum exactiōibus liberi effecti, pendente dilatione moratoria, facultates suas reparare & eo commodius rebus suis consulere possint, diligenter eas administrando & rationes solvendi meditando itidemq; debita exigendo, quibus alios devinctos habent, *Colleg. Argent. Lib. 44. d. 1. t. 6. 102. Coler. de Process. exec. p. 1. c. 4. n. 14.* (2) Respectu Creditorum, ut iis eò melius & minori cumdamno succurratur, quia finito induciarum tempore universa sua debita consequuntur, quæ perdidissent, exactiōnes suas si præcipitassent. Ad quæstionem illam quæ hic moveri, solet, An, si debitor ad pinguiorem fortunam durantibus induciis pervenerit evanescat hoc privilegium Respondet *Limneus* quod non dicit. loc. n. 341.

THE S. XXIX.

Effectus Rescriptorum itidem alius est respectu debitoris, alius respectu Creditoris. Respectu debitoris, quod pendente eorum tempore debitores tranquilla securitate uti, nec à creditoribus molestari debeant arg. *l. 4. C. de prescript. 30. vel. 40. Berlich. p. 1. concl. 84. n. 52. Boër. decis. 296. n. 5* & quemadmodum Creditor, si pactus fuerit cum Debitore, se nolle petere intra quinquennium sortem aut usuras, si petat, repelli potest exceptione pacti conventi temporalis §. 10. *Instit. de Except. l. 3. ff. eod. l. 93. pr. ff. de solut.*
ita

ita quoque vi induciarum removeri potest exceptione
moratoria *d. l. 2. C. de prec. Imp. offer.* quæ solemnior est &
ferrea dicitur. *Zang. de Except. p. 1. c. 12. König. in Process. c. 2.*
n. 33. Respectu Creditoris, quòd præscriptio hæc non cur-
rat adversus Creditores intermedio tempore *l. fin. Et ibi*
Gothof. C. qui bon. ced. poss. Tholosan. L. 22. Synt. c. 7. n. 3. Quis
enim inculcare Creditores poterit, si hoc non fecerint,
quod etsi maluerint minimè adimplere lege vel pacto
obviante valuerint. *l. 1. §. fin. in f. C. de annal. Except.* accedit
quod non currat præscriptio in persona ejus qui legitimè
impeditus est, quò minus agere possit. *d. L. 1. §. 2. C. de annal.*
except. l. 30. C. de jur. dot. addatur express. textus in L. ult. Cod.
quod bon. ced. in fin. ibi: nullo præjudicio Creditorum cui quam-
ex quinquennii dilatione circa temporalem præscriptionem
generando V Vilhelm Anton. de Rescript. morator. concl. 58.

THESES. XXX.

Quæritur autem à Dd., an inter alios effectus Rescri-
pti moratorii etiam computari debeat, quod duran-
te dilatione, cursus usurarum, quæ ex stipulatione aut ex-
pressa promissione debentur, sistatur nec ne? Et quam-
vis *Hering de fidej. c. 22. n. 39. Et sequ. Moller. 4. Semest. 7. n. 2.*
Carpz. Jurispr. p. 2. constit. 30. defin. 46. alique cursum usu-
rarum sisti contendant; ~~contraria tamen sententia mihi~~
~~ut verior amplectenda videtur eamque defendunt~~ *An-*
ton Fab. d. l. 1. 9. defin. 8. Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 24.
th. 4. lit. e. Limneus d. lib. 4. c. 8. n. 340. in fin. Et pro his fa-
cere videtur, quod princeps concedendo inducias non
permittat vel sortis vel usurarum ablationem, sed me-
ram tantum dilationem *arg. l. 2. C. de prec. Imp. off. l. fin. C.*
qui bon. ced. poss. natura autem dilationis est, ut actionem

E 3

disse

differat, non autem minuatur aut obligationem mutet. Unde rectè regulam sequimur, & cum non preberetur exceptio, idem in hac dilatione statuimus; deinde maxima inde inferretur injuria & detrimentum Creditori, si ipsi jus suum initio contractus quæsitum auferretur, & obligationis pristinae status mutaretur; Cùm beneficia Principis Creditori in jure quæsito nullum dispendium afferre vel ei obesse debeant, uti patet ex lege 8. ff. de prator. Stipul. l. 4. C. de emancipat. liberor. accedit in super quod cum debitor in precibus pro impetranda dilatione oblatis saltem intendat aliquam dilationem, non autem ablationem alicujus juris Creditoribus quæsiti, non præsumatur Princeps simpliciter absque ulla determinatione usurarum petitam dilationem concedendo, cursum usurarum sistere voluisse, sed rem, uti fuit in suis terminis reliquisse, quia id si voluisset, etiam facile adicere potuisset. arg. c. ad audientiam X. de decim. c. inter corporal. 2. X. d. transl. episc. l. unic. §. 11. inf. C. d. Caduc. tollend. neque præsumitur voluisse ingenere quod verisimiliter in specie non fecisset. c. cum ingenerali 81. d. R. J. in 6. c. à nobis 24. X. de Decim. Illud autem cum Carpz. d. def. 46. n. 6. & 7. lubentissimè concesserim, humanitatem requirere ut debitor, qui tempore concessarum induciarum illud sedulo egit quo Creditoribus satisfacere posset, nec ramen eò pervenire potuit, sed eo elapso vix ac ne vix quidem ipsam sortè restituere valet, ob usuras tempore dilationis cumulatam non ita rigorosè exigatur. Wilh. Anton. de Rescript. morator. concl. 63. n. 225. addatur Mer. Discuss. levam. inop. debitor. cap. IV. n. 41. 42. 43. & seqq. ubi hanc quæstionem eleganter examinat.

The-

THESES. XXXI.

Similiter circa effectus quæri solet, an beneficium indu-
 Sciarum debitorem à beneficio cessionis excludat?
 Videtur dicendum quod sic, ex his rationibus quod (1)
 duæ causæ lucrativæ in eundem non concurrant §. 6. *In-*
stit. de Legat. (2) quod duplici onere creditores non
 sint gravandi (3) quod alioquin Creditores, qui dilatio-
 nem concesserant delusi manerent *Mantz. d. l.* & sic deci-
 sum fuisse in Consilio Neapolitano testis est *Matth. de Af-*
flict. decis. Neapol. 378. de cessione bonorum post quinquenni-
um non fienda n. 3. Æquius tamen videtur *Bachov. ad Treutl.*
v. 2. disp. 24. th. 4. lit. e. p. 557. Zæf. ad ff. d. cess. bonor. n. 25.
Peretz. ad Cod. qui bon. cedere poss. n. 22. contrarium asserere;
 Nulla enim videtur esse ratio, cur illi, qui consilio
 non fraudulento quinquennales obtinuit atque tempore
 intermedio diligentiam & frugalitatem suam satis osten-
 dit omnibus que sufficienter probavit, & tamen iniqui-
 tate temporum depressus, nihil aliud nisi flebile cessionis
 beneficium reliquum videt, illud denegari debeat; neque
 enim debitor Creditores decepisse dici potest, cum fraus
 non præsumatur in eo, qui quantum in se fuit, æri alieno
 satisfacere maximopere studuit, licet id postea, fortuna
 adversa prohibente, præstare non potuerit. Ad hæc cum
Imperat in l. fin. Cod. qui bon. ced. in pari numero Credito-
 rum & debiti quantitate tanquam humaniorem senten-
 tiam præferat eam quæ dilationem concedat, nulla vide-
 tur esse humanitas, postea si bonis cedere non liceret, sed
 eo modo maximo damno afficeretur, idque èo magis,
 cum etiam ut ante dictū in impetratione dilationis Cre-
 ditoribus satisfacere teneatur si id postulatum fuerit *l. 4.*

E. d.:



C. d. prec. Imp. offer. unde & ea quæ specialiter à Principe in favorem alicujus humanitatis ratione conceduntur, intelliguntur fieri salvo jure communi, ne alias in odium detorqueantur, & quamvis tacitè ei renunciatum esse, quibusdem videatur, cum tamen necessum sit, ut conventio tacita fundetur aut in præsumta voluntate contrahentium aut ex post facto aliquo inducatur, cujusmodi nihil hic occurrit *Bachov. d. l.* Sententia contraria videtur plausibilior: his addi potest quod, uti in præcedentibus dictum, electione unius remedi non statim etiam aliis censeatur esse renunciatum.

THE S. XXXII.

CÆterum quæri solet, an beneficium hoc profit quoque fidejussoribus? & quamvis multi in sententiâ negativam propendeant, Affirmativam tamen *Trentl. vol. 2. Disp. 24. th. 4. lit. e. ibique Bachov. in not. Limnaeus de jure Publ. Lib. 4. c. 8. n. 337. & seqq. Zoes. ad ff. de Except. n. 25. & sequ.* defendunt, pro qua facit, quod quamvis olim liberum fuerit Creditori post moram debitoris relicto reo fidejussorem convenire *L. 5. C. d. fidejus. jure tamen novissimo fidejussores conveniri nequeunt, nisi prius principalis conventus ejusque bona excussa fuerint Novell. 4. c. 1. auth. presente. C. d. fidejuss. auth. hoc si debitor. Cod. de pignor. & hypoth.* Quod si igitur principalis, ut supra ostensum, concessis induciis conveniri non possit, utique nec fidejussor exigi poterit aliàs enim ipsi per injuriam beneficium excussionis auferretur & conditio iniqua inferretur, cum debitor si prius conveniretur fortassis etiam totum vel ad minimum tamen pro parte adhuc satis facere possit; Deinde si fidejussoribus beneficium hoc non prodesset, frustra rescripta peterentur, & per

per indirectum eluderentur, cum Creditores contra quos ea impetrata sunt, excussio fidejussore, nihilominus circa aliquam dilationem debita sua consequerentur. Accedit quod fidejussor & ipse principalis accedente termino solutionis prius, conveniri non possint; ita ut si ante diem agat creditor, debitor exceptione competenti se defendere & creditorem repellere possit. Concessio autem induciarum hoc operatur ut solutionis terminus sit prorogatus, & tunc demum existere intelligatur, cum induciae ad finem perductae fuerint addatur *L. 3. §. 1. C. d. Usur. rei judicat.* ubi quadrimestres induciae post sententiam reo datae per legem etiam profunt fidejussori, & quamvis Creditor fidejussorem accipiens, id ab initio egisse videatur, si forte insperato evenerit debitorem facultatibus labi, ut nihilominus suum consequi posset, non tamen facultatibus lapsurum esse, cum bona ejus nondum sint excussa, dici non potest; hinc durior ac deterior fidejussoris, quam ipsius debitoris principalis conditio esse nequit *§. 2. Instit. l. 8. §. 7. ff. d. fidej.* Cessat tamen idem beneficium in persona fidejussoris, si vel renunciarit beneficio excussionis, quod velit neglecto principali, conveniri & se intuitu eius beneficio hoc non teneri *l. pen. C. d. pact. vel se ut Principalem als einer selbst Schuldener obligaverit Hering. d. tr. c. 27. n. 84. & se* tunc enim sine ulla discussione eum convenire licet, cum verba non debeant esse otiosa. *L. 4. ff. d. Usuris & de observantia fori testatur Gail. 2. Obs. 28. n. 26.*

THE S. XXXIII.

Coronidis loco lubet hic inquirere, An beneficium induciarum etiam transeat ad heredes? & licet nonnullis affirmativa sententia placeat ex eo, quod heres una eademque cum defuncto persona esse censetur. *Nov. 48. pr. & in omne jus, quod defunctus habuit, succedat l. 59. leg. 62. d. R. J.* Negativa tamen *Limnao d. Lib. IV. c. 8. n. 336. & Hillig. in Donell. Lib. 22. c. 9 lit. 60.* arripit, quorum ratio haec est, quod privile-

F. gium

gium hoc in persona illud implorantis sit fundatum, unde
perinde ut alia privilegia, ceu accidens, sublatâ sub stantia si-
mul corrui, nec personam egreditur *arg. L. 1. §. 2. ff. de con-
stit. pecun. l. 68. & 196. ff. d. Reg. J. §. 6. Inst. de J. N. G. & C. cui*
accedit, quòd quandoq; in heredibus ratio concedendæ di-
lationis cesser, ita ut non sint subiectum habile & qualifica-
tum, deficiente qualitate paupertatis & infortunii ob quas
aliàs induciæ conceduntur, & quamvis nonnunquam etiam
eadem in iis concurrat qualitas, non tamen ex sola rationis
identitate ad casum non expressum extendi poterit, nisi etiã
Superioris autoritas accesserit: Tutius igitur agunt de-
bitores, heredis quoq; nomen Rescriptis moratoriis in seri-
facientes, quòd omnis præscindatur via & occasio de intelle-
ctu privilegii disputantibus *Carpzov. Asyl. debit. cap. IV. d. 10.*
n. 48. Fusius & accuratius hanc materiam deducere tempo-
ris angustia, quæ qualiquali huic dissertationi conscribendæ
restabat, obicem hic mihi ponit. Interim ut initium no-
stræ hujus dissertationis à divini numinis imploratione
factum, ita & cum ea sit

F I N I S.



Etroft! ihr die die Laft der Schulden bange macht /
Wozu euch hat ein Fall/nicht eure Schuld gebracht;
Die Laft nunmehr alle Furcht auß euer Seele schwinden/
Man wird euch nicht/wie sonst/ mit harten fesseln binden /
Si weil das strenge Recht von seiner schärffe weicht/
Und sich auß Billigkeit umb eine Frist vergleicht.

Und daß ihr desto mehr dem Handel trauen könnt /
So merckt/was dieses Blat zu eurem Heyl benennt/
Und wie dem Bläubiger in rechten zubegegnen
So lange/biß die Hand des Höchsten euch wird segnen.
Ja wenn der Bläubiger im Eiffer sich erhitze /
So denckt/das durch ein Blat der Prinzen Hand euch schütze

Rühmt derer Snad und Gunst/die dieses vorgebracht/
Und euren Unglücks-Fall mit solchem recht bedacht/
Vergesse auch derer nicht / die dieses auffgeschrieben/
Weil es durch derer Fleis ist unvergessen blieben!
Seht andern euren Ruhm / ich lobe meinen Freund
Ob seinen theuren Fleis/der auß dem Blat erscheint.

Und das umb so vielmehr / weil seine Würde blähet/
Und man ihn öffentlich zu lönen ist bemühet/
Nachdem Er dieses Recht genauer zuerwegen
Der Rechts-Selahrten Schaar beliebt hat vorzulegen;
Ein jeder lobt sein Thun/ich wünsche Glück hierzu/
Doch/das er dieses Recht nicht seiner Liebsten thu!

P. Schulz.



ULB Halle 3
003 060 411



Wort





17/80.

9

2

JEHOVA ASSISTENTE! 1668, 2
DISPUTATIO INAUGURALIS

De
**INDUCIIS MO-
RATORIIS,**

*Ductu L. 2. & 4. C. de Precib. Imper. off. & L. fin.
C. qu. bon. ced. poss.*

Quam
Consensu & autoritate Magnifici Jctorum Ordinis
in illustri hac Viadrina

P R Æ S I D E

*MAGNIFICO, NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
atq; EXCELLENTISSIMO*

Dn. JOHANN BRUNNEMANNO,
Jcto, Serenissimi ac Potentissimi Dn. Electoris Bran-
denburgici Consiliario, Decretalium Professore celeberrimo nec
non Amplissimæ Facultatis juridicæ Ordinario & h. t.

DECANO Spectabili

*Dno. Patrono, Præceptore ac Promotore omni
observantia colendo*

PRO SOLITIS IN UTROQ; JURE HONORIBUS OBTINENDIS

Publico sistit Examini

GEORG CONRAD SCHVVICK,

Sonnenb. March.

IN AUDITORIO JCTORUM

horis ante & pomeridianis,

Die 2. Octobr. Anno 1668.

Prelo FRIDRICI Eichorns.

